

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 69. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415585071904/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

- propriam domum, que ab illius morte donata est
D. Ioanni Andree episcopo Ottoniensi, cuius uer-
sutia et fraude instructus rex Ioannes obtinuit ini-
27 quam | sententiam, quam alioqui non obtinuisset.
5 Illius enim arbitrio nihil non fiebat in regno uiuente
adhuc Ioanne rege. Huius tamen tyrannidis, alia-
rumque uersutiarum, quibus in vita excelluit, mul-
tosque oppressit, sub principatu regis Christierni
condignas dedit penas.
- 10 Eodem anno venit in Daniam a pontifice Rho-
mano missus legatus, Danus quidam doctor Her-
mannus, professor ordinis diui Ioannis Monasterij
Ottoniensis, predicaturus quam uocant cruciatam
aduersus Turcham, qui suis remissionibus et bullis,
15 hoc est mera licentia, extinxit multam pietatem.
Neque docebant huiusmodi legati eorumque vicarij
homines penitentiam agere, sed intrepide peccare,
atque tunc primum aperta fuit Lutheranismi fene-
stra. Neque unquam potentior factus est Turcha,
20 quam dum cepta est predicari aduersus illum cru-
ciata, qua compilata sunt Christianorum regna, auc-
teque facultates cognatorum Rhomani pontificis,
Turcha magis ac magis triumphante, posterioribus
prioribus semper deterioribus. Hanc enim cruciatam
25 non persuasit pietas sed auaritia. |
- 28 Ab anno domini .1507. et deinceps acriter pug-
natum est terra et mari, inter regem Ioannem, guber-
natorem Suetie, atque ciues Lubicenses, rege ubique
triumphante, verum non sine graui iactura suorum
30 ciuium ac precipue negociatorum. Duces autem na-
ualis belli erant uiri famatissimi Seuerinus Nørby,
Otto Rud, Ioannes Holgeri, atque horum similes

Cruciatam
predicata in
Dania .1502.